



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XXX. Ianvarii. S. Aldegvndis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

SALDEGVNDIS Virgo, Soror B. Waldetrudis. Angeli admonitu, in virginali puritate perpetuò perseveravit. Prouoluta pedibus S. Amandi Episcopi, sacro se velamine donari postulavit. Tam ardentè ad perfectionem exarsit, ut corrasis vndecunq; maiorum suorum thesauris, eosdem pauperibus distribuerit, vili tantum vestimento ex omnibus sibi referuato, quam erga inopes liberalitatem gratam sibi esse, miraculo Christus ostendit. Eodem namq; die, quo tam benigna in pauperes extiterat, cum lassatus corporis vires, aquæ hauustu reficere vellet, sensit illico aquam vinum factam.

Inter alia diuinæ consolationis beneficia, angelicâ frequenter visitatione roborabatur, ita vt nulla vnquam grauiori tristitia absorpta fuerit. Dum nocte quadam in Ecclesiâ precibus incumberet, meruit in ecstasi gloriosum S. Amandi ex hac vita transitum contemplari, & angelica voce præmoneri, vt se ad eandem cælestis gloriæ coronam breui percipiendam compararet. Cum porrò obitus sui diem iam instare cognouisset, multis lachrymis à Domino postulavit, vt ab omni peccati contagione in hac vita, per aduersa purgari mereretur. Demum superatis grauib; Diaboli insidiis, magno cum splendoris cælestis lumine, in cælum migravit III. Kal. Febr. Fundauit Malbodium monasterium in Hannoniæ civitate, in eoq; prima fuit Abbatissa. Floruit sub Dagoberto rege Francorum circa annum Domini DCXL. *Ex vita, & Mol. Natal.*





*Handing
 of the
 Bened
 ; III
 5*

INMA 2

C 2

XXX. IA-